

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level One Medieval Latin Examination

9 September 2015

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. A vespers hymn to the Virgin Mary

Ave maris stella,
Dei mater alma,
atque semper virgo,
felix caeli porta.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
funda nos in pace,
mutans nomen Evae.

Solve vincla reis,
profer lumen caecis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce.

Monstra esse matrem,
sumat per te precem
qui pro nobis natus
tulit esse tuus.

Virgo singularis,
inter omnes mitis,
nos culpis solutos
mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
iter para tutum,
ut videntes Jesum
semper collaetemur.

Sit laus Deo patri,
summum Christo decus,
spiritui sancto
honor, tribus unus.

2. Peter of Spain on how to deal with snakes

Exemplum V: De homine et serpente. Transiens quidam per siluam inuenit serpentem a pastoribus extentum et stirpitibus alligatum. Quem mox solutum calefacere curauit. Calefactus serpens circa fouentem serpere cepit et tandem ligatum graue strinxit. Tunc homo: Quid, inquit, facis? Cur malum pro bono reddis? Naturam meam, dixit serpens, facio. Bonum, ait ille, tibi feci, et illud malo michi soluis? Illis sic contendentibus uocata est inter eos ad iudicium uulpis. Cui totum ut euenerat est monstratum ex ordine. Tunc uulpis: De hac causa iudicare per auditum ignoro, nisi qualiter inter uos primum fuerit ad oculum uidero. Religatur iterum serpens ut prius. Modo, inquit uulpis, o serpens, si potes euadere discede! Et tu, o homo, de soluendo serpente noli laborare! Nonne legisti quod qui pendulum soluerit, super illum ruina erit?

3. The Venerable Bede recounts details from his biography and bibliography

Qui natus in territorio eiusdem monasterii, cum essem annorum VII, cura propinquorum datus sum educandus reuerentissimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus uitae in eiusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam disciplinae regularis, et cotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere aut docere aut scribere dulce habui. Nono decimo autem uitae meae anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium reuerentissimi episcopi Iohannis, iubente Ceolfrido abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus usque ad annum aetatis meae LVIII haec in scripturam sanctam meae meorumque necessitati ex opusculis uenerabilium patrum breuiter adnotare, siue etiam ad formam sensus et interpretationis eorum superadicere curauit. In principium Genesis, usque ad natiuitatem Isaac et eiectionem Ismahelis, libros III. De tabernaculo et uasis eius ac uestibus sacerdotum, libros III. In primam partem Samuhelis, idest usque ad mortem Saulis, libros III. De aedificatione templi allegoricae expositionis, sicut et cetera, libros II. Item in Regum librum XXX quaestionum. In Prouerbia Salomonis libros III ...

4. Sound advice for students from Thomas Aquinas

Quia quaesisti a me, in Christo mihi carissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiae acquirendo, tale a me tibi traditur consilium: ut per rivulos, non statim in mare, eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Haec est ergo monitio mea et instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo et tarde ad locutorium accedentem; conscientiae puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas; cellam frequenter diligas si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe; nihil quaere penitus de factis aliorum; nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum et subtractionis a studio materiam subministrat; de verbis et factis saecularium nullatenus te intromittas; discursus super omnia fugias; sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas; non respicias a quo audias, sed quidquid boni dicatur, memoriae recommenda; ea quae legis et audis, fac ut intelligas; de dubiis te certifica; et quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere.